



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Sanderi Presbyteri, S. Th. Licentiati Hagiologivm
Flandriae Sive De Sanctis eius Prouinciae Liber vnus**

Sanderus, Antoine

Antverpiae, 1625

Ansbertvs Rotomagensis in Normannia Episcopus in Blandinio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10172

noniana dum antiqua istic inspiceret Missalia, vt in natalibus ad hunc diem fatetur. Quibus etiam lectis non dubitauit quin B. Bauonis Ecclesia olim sanctæ Adiliæ memoriam in diuino officio celebrauerit. Cæterum quo loco quiescat, & quæ eius fuerit vita nusquam reperire potuit. Nisi sit eadem cum Adilia Orpiensi in Namurcensi Diocesi, quod ad diem trigesimum Iunij idem auctor non omnino improbare videtur. Est in Alsatia in Apice montis celeberrimum Hohenburgense Monasterium sanctæ Adiliæ sacrum.

ÆGYDIVS AMICVS GANDAVI.

Monachus fuit Bodelonensis Ordinis Cisterciensis, ab Harduyno sanctitatis nomine commendatur, in msc. Diuorum Flandriæ indiculo.

ANSBERTVS ROTOMAGENSIS

in Normannia Episcopus in Blandinio.

Successit S. Audoëno in Episcopatu Rotomagensi, & à 9. Febr. Pipino Principe in exilium pulsus, demum in Alto Monte Benedictinorum Abbatia ad Sabim fluuium apud Hannones sita anno 695. viuere desiit. Post mortem, uti iusserat relatus est Fontanellam, quod est monasterium diocesis Rotomagensis ad Sequanam fluuium, cuius loci Abbas fuerat ante Episcopatum. Vnde postea cum corporibus sanctorum Wandregisili & Vulframni ob persecutionem Normannicam, primò Boloniam ad mare, deinde Gandauum ad montem Blandinū anno 944. est deuentum. Vitam eius scripsit Angradus Monachus Fontanellen.

D 2

nellen.

nellensis ad Hilbertum Abbatem suum proximum Ansberti in Fontanella successorem. Exstat apud Surium, sed omisâ præfatione, vt aliæ multæ Sanctorum historiae. Ita Miræus. Ansbertum Fontanellam Halidulphus Abbas alti montis summo honore, inquit Molanus, linteis ceratis obuolutum, & sic vestitum, sicut sanctis altaribus assistere debuerat, detulit anno 695. In Blandinio frequens eius est memoria. Nam præter natalem annuè leguntur sequentia. Secundo Kal. Aprilis eleuatio & translatio sanctorum Wandregisili Abbatis, & Ansberti, atque Vulframni Archipræsulum. Tertio nonas Septembris in monte Blandinio Gandau territorij aduentus sanctorum corporum, Wandregisili Abbatis, Ansberti & Vulframni Archipræsulum. Decimo octauo Kal. Octobris. translatio corporis sancti Ansberti Rotomagensis Ecclesiæ Archiepiscopi. Cæterum dum sancti viri corpus multis miraculis Fontanellæ clareret. Pipinus (quod gesta Fontanellensium Abbatum testantur) in peccati sui expiationem Floriacum monasterium in pago Velioecassino construxit, ipsumque Fontanellensi cænobio tradidit. Vide vitam ampliorem apud Haræum hoc die, qui ex Angrado refert eum Angradisinae Rotberti, qui gerulus erat annuli Regis Clotarij, filia iussu patris sui Siwini connubio iunctum fuisse. At cum vterque in proposito seruandæ castitatis permanerent, hunc Monachum illam monialem factam.

ADALBALDVS MARCHIANENSIS.

2. Febr. **I**N territorio Perragorico passio sancti ADALBALDI Ducis Duacensis, qui coniugem habuit sanctâ Rictrudem. Hic cum ex pago Austrebatensi, vbi multis locupletabatur diuitiis, in Guasconiam iter arriperet, & à malignis homi-